

ab esse formæ ad non esse formæ, ut quando forma aliqua abjicitur & alia in subjecto recipitur. Hisce præmissis responsio in promptu est, nempe si major intelligitur de mutatione substantiali ab esse ad non esse simpliciter, quæ dicitur annihilatio, tunc est falsissima, cum mutatio hæc tum substantialis tum accidentalis possit dari etiam in Spiritu, potest enim Spiritus recipere accidens, quod antea non habebat id sanè sine mutatione accidentali fieri nequit. Deinde sicut Spiritus ex nihilo potest produci, ita vicissim (subtracto scilicet concursu DEI generali) in nihilum redigi potest, quæ est mutatio substantialis ab esse ad non esse simpliciter. Si verò sermo est de mutatione substantiali, quæ aliqua forma substantialis recipitur, alia autem abjicitur, tunc negatur minor. Ad 3. Res. negandò consequentiam. Non enim sequitur, hoc agit & patitur, ergò habet diversa principia materialia, ut secundum unum agat, secundum alterum patiatur, cum absurdum non sit unum idemque secundum idem agere & pati e. gr. Intellectus hominis cum intelligit & ita actum intelligendi producit, agit, quia autem actus ille intelligendi est immanens, ideo intellectus eundem recipit, & sic simul agit & patitur: idem ostendi potest de voluntate.

§. 21. Ad 4. Res. Angeli dupliciter considerari posse primò, ratione suæ naturæ & essentia; deinde ratione corporum, quæ ab illis accidentaliter fuerunt assumpta & in quibus apparuerunt hominibus. Priori modo intelligi argumentum non potest, si probatur Angelorum naturam & essentiam ralem esse, ut cadere non possit sub visum, intelligatur ergò necesse est de Angelis posteriori modo, nempe ratione corporum assumptorum, quæ ratione argumentum non probat id, quod probandum est, cum h. l. sermo sit de Angelis quoad essentiam societatis. Corpora
illa